



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Paraenesis De Eleemosyna**

**Alardus <Aemstelredamus>**

**[Köln], 1545**

**VD16 A 1250**

Quo in loco.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63012)

## DE ELEEMOSYNA.

citia, tanta ipsis inter se prudentia atque beneuolentia congregatis, non solum cum acciperent, sed & cum darent beneficia. Chrysostronus in Matthæo, homilia 79. Vigilate quia nescitis, &c. Vbi sunt, inquit, hic qui per totam uitam de fiducia torpescunt, & quando à nobis admonentur respondere non dubitant, omnia se pauperibus moriendi tempore relicturos. Audiant hæc uerba & emendent se, multi enim obeundi tempus expectantes, ita repente sunt rapti, ut nec iungere illis quicquam potuerint. In una sabbatorum (id est, prima hebdomada, idiotissimo Hebraico, quæ nobis est dominica) unusquisque uestrum apud se seponat, recondens quicquid commodum fuerit, ne quum uenero, tunc collationes fiant, pri. Corinth. decimo. Hieronymus aduersus Vigilantiū. Ergo hoc loquor quod beatus Apostolus Paulus in cunctis pene epistolis suis loquitur, & præcipit in ecclesijs gentium per unam sabbati, hoc est, in die dominico omnes conferre debere, quæ Hierosolymam in sanctorum solatia dirigant, & uel per discipulos suos, uel per quos ipsi probauerint, & si dignum fuerit, ipse aut dirigat aut proferat quod collectum est.

### *Quo in loco.*

**A**ugustinus de opere Monachorum 25. Nec attendendum est in quibus monasterijs, uel in quo loco indigentibus fratribus, quisque id quod habeat impenderit, omnium enim Christianorum una respublica est. Et ideo quisquis Christianis necessaria ubilibet erogauerit, undecunque etiã

## DE ELEMOSYNA.

quod sibi necessarium est accipit, de Christi bonis accipit. Vbicunque & ipse cum talibus dedit, quis nisi Christus accepit?

*Quarendos esse pauperes quibus misereamur, & non tantisper operiendos, dū nobis abiecte supplices fiant.*

**A**ugustinus in Psalmum 103. Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. Quere cui des. Beatus enim qui intelligit super egenum & pauperem, qui praecipit uocem perituri. Si sic inter uos indigent milites Christi, ut etiam petant, uidete ne uos iudicet antequam petant. Quomodo inquis quæro? Esto curiosus, esto prouidus, prospice, attende unde quisque uiuat, unde se transigat, unde habeat: non reprehendetur ista curiositas tua, terra eris producens fœnum iumentis, & herbam seruituti hominum. Curiosus esto, & intellige super egenum & pauperem. Alius ad te uenit, ut petat, alium tu praue ni ne petat. Sicut enim de illo qui te quaerit dictum est, Omni petenti te da: sic de illo quem iuberis quaerere dictum est, Sudet elemosyna in manu tua, donec inuenias iustum cui eam tradas. Cum enim dandum sit, & istis pauperibus petentibus patet. Non enim ab eis inhibuit deus elemosynas, cum Christus de ipsis dicat: Quando facis epulum, conuoca cæcos, claudos, debiles, non habentes unde tibi reddant, retribuetur autem tibi in resurrectione iustorum. uoca & ipsos, pasce & ipsos, epulare cum illi epulantur, delectare cum illi saginantur: illi enim pane tuo, tu iustitia dei. Nemo uobis dicat, Præceptum est à Christo, ut seruo dei